



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim  
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,  
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,  
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus  
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati  
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

**Herbipoli, 1700**

Decas X. Ab anno 790. ad 800.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64756)



Theophilus Præfectus Imperatoriæ clausis à Saracenis captus & ad Aaronem Principem deductus, cū nec blanditiis nec minis ad Christum ejurandum permoveni posset, Martyrio coronatus est.

✥(790.)✥ Armenicæ Legionis solum Constantinum Imperatorem suum acclamantes, ad idem faciendum omnes alios exemplo suo inducunt. Quare Irene male sibi metuens Constantinum à se dimisit qui solus regnare cœpit & graviter mortuus est Præfectos à matre constitutos.

In Hispania post mortem Mamogati Alphonsus cognomento *Castus* quem ille eiecerat Regno restituitur.

De hisce temporibus conveniunt fide dignissimi Scriptores, quod à Saracenorū potestate super Africam & Asiam jam effusa, ipsa etiam Europa veluti torrente obruta fuisset nisi Francorum virtus se veluti murnū & aggerem opposuisset.



## DECAS X.

✥ *Ab anno 790. ad 800.* ✥

791. **C**onstantinus Imp. spe victoriæ certò promissæ deceptus à magis vincitur & fugatur à Bulgaris, ac rediens Con.



Constantinopolim sævit in Nicephorum Patruum suum. Quem milites decreverant constituere Imperatorem, qua de causa oculis illum privat & quatuor adhuc alios Nicephori fratribus linguas præscindit. Alexium quoque Patricium quem legiones Armeniæ Imperatorem sibi deponere videbantur, pariter luminibus orbat, quam crudelitatem Deus manifestâ pœnâ Talionis quinquennio post vindicavit, quando eodem mense Augusto, & eodem die Sabbathi ab Irene matre sua oculis erutis excoecatus est.

Celebratur Concilium Forojulienſe, de processione Spiritûs S. contra Græcos & de incarnatione Verbi contra Elipandum, Præfuit autem Concilio Paulinus Aquilensis, acerrimus disciplinæ Ecclesiasticæ vindex.

Migravit ex hac vitâ vir Apostolicus & sanctitate illustris Burckardus Episcopus Herbipolensis, per quadraginta annos discipulus S. Bonifacii, cùm totidem annos illam Ecclesiam doctrinâ fidei & sanctitate suâ illustrâſſet.

✱(792.)✱ Concilium celebratur Ratisponæ in causa Felicis Urgellitani, qui Elipandi socius in hæresi per Galliam & Germaniâ zizania suorum errorû disseminando



do pervasit. Cùm verò in hoc Concilio hæresin suam ejurasset, sedi suæ restituta est exemplo perniciosissimo, & in hujusmodi hominibus nunquam imitando, quod tantùm metus amittendæ dignitatis ad officium revocat.

✽(793.)✽ Alphonfus Castus Gallæciæ Rex indigno animo ferens, nomine tributum annui, prostitui pudicitiam virginum Hispanicarum casto & puro zelo exurgens vindex tantæ injuriæ, quamvis longè viribus inferior esset, adversus Mauros nihilominus apud Asturios progressus, feliciter Marte pugnans septuaginta millia illorum una cum Duce Mugait occidit. Post hæc multa prælia contra Saracenos æquali forte confecit semper victor, ut Carolus Magnus cum tam forti ac victorioso Rege amicitiaæ fœdere conjungi gloriæ suæ & æstimationis magnum incrementum esse judicaverit.

✽(794.)✽ Felix Urgelitanus cum suo socio Elipando Episc: Toletano sicut canis revertitur ad vomitum, ardentius quam antea missis quaquà versum ad Episcopos, atque etiam ad Carolum Magnum litteris, quibus nefandam hæresin suam confirmare, & eorum mentes pervertere impie, & fraudulenter moliebatur; Tanto malo



malo validissimè recrudescenti, ut Carolus Magnus occurreret, apud Hadrianum egit pro Concilio Francofordiæ ad Mœnum convocando. Convenerunt igitur ex Italia, Gallia, Britannia, Germania, trecenti circiter Episcopi, præfente in ipsa Synodo Carolo Magno in qua ambo hæretici cum sua hæresi anathemate iterato plenarii Concilii iudiciis conspirantibus perculsi sunt. Quod verò Novatores de hac Synodo garrunt, in ea Synodum Nicænam Secundam, seu Oecumenicam Septimam damnatam esse, id malè & fictè asseritur. Res enim ad hunc modum contigit: quidam non satis informati per errorem opinantes, in Nicæna Synodo decretum esse, quòd imagines eodem cultu, quo ipse Deus honorandæ & invocandæ sint, unde nec à Romano Pontifice approbatum fuerit, hac quidam opinione falsâ inducti, egerunt Francofordiæ de rejiciendo Concilio, ad rem autem ventum non est; neque ille liber est Caroli Magni, ut quidam hallucinantur, vel studiosè mentiuntur, qui contra Concilium Nicænum scriptus est; Quanquam Catholici non diffiteantur, quod Carolus Magnus de multis super hoc negotio Hadrianum Papam consuluerit. Sic igitur de Synodo Francofordiensi



ensi sine errandi periculo sentiendum est quod in eo quæ facta sunt circa damnationem Felicis & Elipandi omnino vera sint, quæ autem contra Synodum Nicænam Oecumenicam septimam jactantur illa proposita quidem esse, sed ab his Patribus non admittenda neque rejecta, quia falsis relationibus innitebantur.

✱(795.)✱ Cæca & furens libido turbabat Ecclesiæ pacem in Oriente, cum enim Constantinus Theodotem cubiculariam infano amore deperiret, Mariam uxorem suam quasi vitæ suæ insidiatam ejecit, & Theodotem per Josephum Ecclesiæ Oeconomum coronari jussit: Ob hanc causam cum Constantinum Plato & Theodorus Studita arguissent, ille carceri mancipatus, hic autem cum multis aliis Monachis verberibus cæsus est, quamvis Theodotæ conjunctus esset. Tarasius autem Patriarcha majora mala reveritus, quanquam factum improbaret, excommunicationis tamen fulmen continuit, quo effecit apud Monachos ut ipsi à communione Tarasii abstinerent, quia Josephum à quo adultera coronata fuit, ab Ecclesia non eiecisset.

Hadrianus Romanus Pontifex migravit ex hac vita postquam cum summa laude,  
maxi-



maximo rei Christiano emolumento annos viginti tres & ultra sedisset. Obitum ejus multis laerymis deflevit Carolus Magnus qui eum ut Patrem colebat, & amabat, cujus etiam sepulchrum in Romana Basilica collocatum regio ipsemet Epitaphio decoravit, & per omnia subdita regna eleemosynas pro anima ejus fieri curavit. Erat enim Carolus in Eleemosynis per totum Orbem erogandis celebratissimus. Quamobrem etiam Regum Transmarinarum amicitiam studiosè expetebat, ut Christianis sub eorum Dominatu existentibus subvenire posset. Unde titulus extat in ejus Capitularibus *de Eleemosyna mittenda in Jerusalem propter Ecclesias Dei restaurandas.*

Post obitum Hadriani nequidem per diem vacante Sede eodem die electus est Leo hujus nominis tertius, patriâ Romanus, omni Ecclesiastica disciplina instructus, Castus, mitis, facundus constans, & eleemosynarum largus, & infirmorum assiduus visitator. Fabula autem est, quam de eo fingunt, quòd Pontificatûs sui exordio passus aliquando sit carnis suæ incendium ob formosam mulierem ejus manum exosculantem, eam sibi ipse præsciderit, & statuerit, ne quis deinceps Pontifici manus

nus



nus, sed pedes oscularetur: cum jam ante hæc tempora moris fuerit pedes Summo Pontifici Vicario Christi, & Capiti visibili in terris exosculari. Et quia eandem fabulam nonnulli attribuunt Leoni Magni testimonium tam inconueniens & inconsistentans, convincitur manifestum esse mendacium, & effrontem calumniandi libidinem.

✽(796.)✽ Mittit Leo Pontifex ad Carolum legationem cum muneribus nempe clavibus aureis ex S. Petri sepulchro acceptis, de more, atque Vexillo Romanæ Urbis. Mittit vicissim Carolus ad Leonem Legatum Engelbertum Abbatem Monasterii S. Richarii & munera quæ ex Hunnorum thesauro erepto consecutus erat. Malè Novatores comminiscuntur per Claves Carolum in Romanæ Ecclesiæ & per vexillum in Romanæ urbis possessionem immissum esse; ignorantes & ignorare volentes ejusmodi dona à Pontificibus mitti consuevisse Christianis Principibus, & præsertim qui Romanæ Ecclesiæ præ cæteris defensores erant, qualem se Carolus Magnus toti mundo ostendebat.

✽(797.)✽ Constantinus Imp. insidiis Matris Irenes captus in palatio Porphyra ubi & natus erat, oculis orbatus est, unde paulo



Paulo post mortuus est, cum ejus filius ex Pellice Leo dictus jam antea obiisset, atque ita genus Copronymi prorsus extinctum, & rursus in Matrem Imperium devolutum est. Scelus hoc execrandum foret in matre talia audente in filium, nisi (ut multi excusant) justitiæ Zelus eam impulisset, quo nomine eadem post hæc meruit, a plerisque Orientalibus ejus temporis viris sanctissimis deprædicari. Post hæc Pax reddita & Innocentes incarcerati libertati, expulsi suis possessionibus atque Ecclesiis restituti sunt. Sol autem qui per continuos septendecim dies ita obtenebratus erat, ut etiam naves in mari lucis defectu errarent, non tam propter Imperatorem excæcatum, quàm propter vindictam ab irato numine obfusum plurimorum Innocentium sanguinem tyranno inflictam, radios suos contrahebat.

\* In Occidente Barcinona quæ à Francis defecerat, per Zarum præfectum Saracenum Carolo reddita est. Ad Carolum quoque confugit Habdalla Princeps Arabs à fratre ex Africa pulsus, cum Ludovico filio Caroli jussus in Hispaniam proficisci.

\*(798.)\* Irene Imperatoris à Principe Saracenorum Abdimelecho pacem petit qui illâ negata Constantinopolim usq; cum  
exer-



exercitū progressus ejus suburbia depra-  
datus, & onustus spoliis recessit.

Tum Theodorus Studita veritus crudeli-  
tatem Saracenorum cum suis Monachis  
(qui mille fuisse scribuntur à Michaële  
jusdem Ordinis & studii Monacho) ut sal-  
vos eos redderet, Constantinopolim ad-  
duxit, atque amplissimum Studii monaste-  
rium, jam diu à Monachis parum frequen-  
tatum, habitare coepit, unde & Studitæ cog-  
nomen consecutus: ubi sancto otio pluri-  
ma tum contra Iconoclastas de novo con-  
scripsit, tum Monachorum suorum laborum  
innumeros propè libros describi curavit.

Irene Legationem mittit ad Carolum  
cum muneribus, & S. Sifinio fratri Thaa-  
sii in bello capto libertatem impetrat.

Alphonsus quoque cognomine *Castus*  
Gallæciæ & Asturiæ Rex Carolo amicissi-  
mus per suos legatos Papilionem miræ pul-  
chritudinis, & prædatæ Ullyssiponæ, insignia  
victoriæ suæ, loricas, mulos, & captivos  
Mauros dono transmittit.

✽(799.)✽ Annus hic infamis est hor-  
rendo scelere in Leonem Pontificem per-  
petrato: nimirum nepotes Hadriani Ro-  
mani Pontificis Paschalis Primicerius &  
Campullus sacellarius Ecclesiæ Romanæ,  
invidiâ tabescentes, cum Pontifex septimo  
Kalend.



Kalendas Maji solenni ritu litanias majores cum universo Clero ac populo celebraret in ipso itinere armati cum suis sequacibus occurrentes, ante monasterium SS. Stephani & Sylvestri populum inermem exturbârunt, Leoni verò crudeliter cæso oculos eruerunt, & linguam præciderunt. eundemque intra ecclesiam monasterii tractum, ante ipsum altare plagis proscissum ac semivivum custodiæ tradiderunt. Sed cum rursus inde noctu in monasterium S. Gerasimi in arctiorem custodiam deductus esset, eadem nocte per intercessionem SS. Apostolorum divinitus visum recepit, & lingua ei restituta est. Quapropter inde suorum quorundam industriâ clam in Vaticanum abductus, mox cooperantibus legatis Caroli Magni à Spoletano Duce Winigiso, qui repente cum exercitu advenerat, ductus Spoletum, paucis post diebus ad Carolum Magnum Paderbornæ in Saxonia tunc morantem pervenit, & humanissimè susceptus est, & post aliquot tempus cum amplissimo Francorum Antistitum & Optimatum comitatu Romam rediit; ubi jussu Caroli de perduellibus inducta quæstio est, in quos cum sententia capitis pronunciata esset, obtinuit Pontifex ut relegarentur, quia id Ecclesiæ consuetudo



tudo postulat, quæ pia mater ad mortem non progreditur: impios tolli è medio non vult, sed tantum emendari.

✱(800.)✱ Susceptus est hoc anno Carolus Romæ ut Protector Ecclesiæ, eique obviam processit Leo Nomentum usque, & honorificentissimè excepit 8. Kal. Decembris; Quæstio tunc instituta est de criminationibus in pontificem, neque enim qui eum tam malè multarunt, gratiam in eum impii esse voluerat. *Quia verò prima sedes à nemine judicatur*, in Ecclesia S. Petri coram Carolo Magno, Præsulibus & Optimatibus Gallorum & Romanorum, Amalbone consensu jure jurando super sancta Evangelia de objectis criminibus se purgavit his verbis, quæ in libro sacrorum rituum Romanæ Ecclesiæ leguntur.

**E**go Leo Pontifex S. R. E. à nemine ne judicatus neque coactus, sed meâ voluntate impulsus, purgo me præsentibus vobis coram Deo & Angelis ejus, qui conscientiam novit, & B. Petro principe Apostolorum, in cujus conspectu consistimus, neque sceleratas res, quas mihi objiciunt, per-

petrâ.



petrâsse, neq; perpetrari jussisse; De-  
um testans, in cujus judicium venturi  
sumus, & in cujus conspectu consisti-  
mus. Et hoc facio non legibus ullis  
obstrictus, neque hanc consuetudi-  
nem aut decretum in sancta Ecclesia  
successoribus meis, & fratribus Coë-  
piscopis imponere cupiens, sed ut  
iniquis vos suspicionibus liberem.

Hoc quoque anno (secundum eos, qui  
annos Redemptoris non à Kalendis Janua-  
rii, sed à Natali Domini auspicari solent)  
idem summus Pontifex Leo mirabili pror-  
sus & singulari Numinis instinctu, in die  
Natali Domini universo Clero & populo,  
& Optimatibus, in Ecclesia S. Petri con-  
gregatis, Carolum Magnum nihil, ut Hi-  
storici testantur, de hac re cogitanti,  
dum ante confessionem S. Petri ab oratio-  
ne surgeret, Imperiali coronâ insignivit,  
& Romanum Imperatorem pronunciavit,  
ter universis acclamantibus CAROLO PIS-  
SIMO, AUGUSTO, à DEO CORONATO, MAGNO,  
PACIFICO, IMPERATORI ROMANO, VITA ET  
VICTORIA. Posthac oleo sacro inunxit &  
hic ne se oblato munere indignum osten-  
deret:



deret, juravit se Ecclesiæ protectorem fore, quoad viveret, iisdem verbis, quibus jusjurandum a posteris etiamnum fieri consuevit, quæ in eodem libro rituum reperiantur.

In nomine Christi spondeo & polliceor ego Carolus Imperator coram Deo & B. Petro Apostolo me protectorem ac defensorem fore S. R. E. in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio, promiscivero & potero.

De hujusmodi Imperii translationis convenientia & sedis Apostolicæ Romanique Pontificis eadem auctoritate fuse Baronius hoc anno, ea quæ à Neuvatoribus obijciuntur refutans, & copioso tractatu Bellarminus adversus Iliricum & alios Centuriatores, nec quisquam sententiam in re gravissimi momenti contra Pontificem ferre præsumat, quam causas necessariæ hujus translationis perpenderit, & de Pontificiæ pietatis amplitudine doctè sanctèque eruditus fuerit.

Hoc interim certum, undecunquæ Imperium venerit, à Carolo retineri potuisse, & ipso eventu demonstratum est, magno Ecclesiæ Orbisque Christiani bono, summam rerum apud levissimos Græcos, ad hæresin & schismata nimis propensos, ab eo tempore desuisse.

#### HÆRESIS ALBANENSIIUM.

1. Duo posuerunt principia bonum & malum, Bonum vocabant Christi Domini Patrem, omnis



omnis boni & novi Testamenti auctorem, alterum malum, & omnis mali, ac etiam veteris Testamenti auctorem.

2. Opinabantur ante Christi adventum nullum hominem justum, nequidem Adamum, neque Moysen, neque alium fuisse.

3. Blasphemabant Deum per se ipsum nullum malum præscire, sed tantum per adversarium suum dæmonem.

4. Mundum nunquam esse cœpisse, nec unquam ab eo statu, quo est, desitutum.

5. Christum ex B. V. carnem non sumpsisse, nec verum hominem fuisse, nec verè edisse, nec passum esse, nec verè mortuum, & in vitam revocatum non esse, denique nec in cælum ascendisse.

6. Dicebant, nullas à Deo animas creari novas, sed quæ excessere è corporibus, in alia corpora migrare, quod Pythagoras omnium primò somniavit.

7. Liberum arbitrium non esse, nec peccatum ab eo proficisci.

8. Usuras illicitas non esse, nec ullam eas restituendi obligationem.

9. Juramentum omne Christianis esse prohibitum, ut illo nunquam uti liceat.

10. Nullum esse peccatum originis, quare nec infantes egere Baptismo.

11. Baptismo nullam inesse vim, & altaris Sacramentum nihil esse.

N

12. Eum



12. Eum, qui peccatum admisit, nec posse  
nec debere confiteri.

13. *Extremæ Unctionis Sacramentum* nihil  
esse.

14. Et malum esse *Matrimonium*.

15. Posse hominem ex se *Spiritum Sanctum*  
relargiri.

16. *Improbam Sacerdotum vitam* & *Sacra-*  
*mento*, & ei, qui *Sacramentum* suscipit, officere.

17. Nullum improbum creari posse *Episco-*  
*pum*.

18. Non posse *Ecclesiam* à *communione* *fide-*  
*lium* arcere *sceleratos*.

19. Ab *Ecclesia* nihil statui vel præcipi posse.

20. *Ecclesiam* nihil posse possidere, nisi quod  
in *communi* offeratur.

21. *Corporum resurrectionem* non esse.

22. *Generale Iudicium* jam factum esse, &  
nullum faciendum superesse.

23. *Alia supplicia impiis sustinenda* non esse  
in *inferis*, nisi eadem, quæ nos in hac *vita* *fati-*  
*gant*. Imò nec *purgatorium propriè*, nec *in-*  
*fernum* esse.

HÆRESIS BAGNOLENSIUM, SEU  
BAJOLENSIUM, QUI ET CON-  
CORDENSES, seu COZOCEN-  
SES VOCANTUR.

Eosdem cum *Albanensibus* errores habuere,  
præter paucos quosdam *peculiares*.

SÆCUL.